

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7514

Auteur(s) : Guillaume de Gerponville [particulier]

Bénéficiaire(s) : Fécamp, La Trinité (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1260, août

Lieu d'émission : Fécamp

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Accord au sujet de la dîme d'Ourville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Études sur la condition de la classe agricole et l'état de l'agriculture en Normandie au Moyen Âge*, Évreux, Hérissey, 1851, p. 262-263, n. 6.

Texte établi d'après a

Sciant presentes et futuri quod ego Guillelmus de Gerponvilla, pro salute anime mee et parentum et amicorum meorum, relaxavi et penitus quietavi de me et heredibus meis Deo et ecclesie Sancte Trinitatis Fiscanni et duodecim clericis scole Fiscanni quasdam consuetudines quas habebam in decima de Orvilla, videlicet : missionem duorum caretariorum, quos singulis annis mittebam ad trahendam predictam decimam in Augusto, et procurationem servientum meorum quam ipsi singulis annis habebant de predictis clericis quando ipsi servientes cum hominibus meis compartabant, ita quod in predicta missione caretariorum vel servientum procuratione nichil penitus michi vel heredibus meis retinui, aut a modo retinere potero, vel occasione aliqua exigere aut reclamare, vel predictos clericos super predicta relaxatione mea et quietatione, per me vel per heredes meos vel per aliquem ex parte nostra, vexare aut molestare, et, si super hiis ab aliquibus vexarentur, ego et heredes mei tenemur eos inde omnino liberara. Et sciendum quod predicti clerici singulis annis michi et heredibus meis reddent in Augusto unam furcam cum quibusdam cerothecis, et de stramine predictae decime septem compotos, per servitium quod pro stramine debetur, de quo predictis clericis respondebo, videlicet pro unoquoque compoto faciam portare usque Fiscannum tria quarteria sui bladi. Et notandum quod quilibet compotus continet stramon quinquaginta garbarum avene, et alterius bladi sexaginta et quindecim garbarum. Pro hac autem relaxatione et quietatione mea de me et heredibus meis in perpetuum observanda et varantizanda, et presentis carte testimonio roboranda, dederunt michi predicti clerici decem et novem libras turonensium, et de retroactis me et predecessores meos ab abbate et conventu fecerunt absolvi in capitulo Fiscanni. Actum est autem hoc apud Fiscannum anno Domini m^o cc^o sexto, mense septembris. Teste universitate capituli Fiscanni. Testibus etiam : Matheo de Orvilla, Rogero de Gerponvilla, Durando Durdenir, Ricardo de Paszorio, presbiteris ; magistro Radulfo Peregrino, magistro Radulfo Hogel, Rogero filio Vincentii clericis ; Rogero de Mainmolins, Valtero de Rivilla, militibus ; Roberto Peregrino, Guillelmo filio Andree, Ricardo de Pratis, Johanne de Galo et multis aliis.